Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35473
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



40.

tibi in cytharа deus deus meus: quare tristis es aia mea et quare conturbas me.
Spera in deo quia adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et deus meus. Gloria. An. Salutare vultus mei deus meus. Ps. Deus deus meus. An. Ad te de luce vigilo deus. Ps.
Ego dixi in dimidio dierum meorum: vadam ad portas inferi. Quesivi residuum annorum meorum: dixi non videbo dnm deum in terra viventium. Non aspiciam hominem ultra habitatorem quietis. Generacio mea ablata est et convoluta est a me quasi tabernacula pastorum. Precisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordiretur succidit me: de mane usque ad vesperam finies me. Sperabam usque ad mane: quasi leo sic contriuit omia ossa mea. De mane usque ad vesperam finies me: sicut pullus hirundinis sic clamabo meditabor ut columba. Attenuati sunt oculi mei: suspicientes in excelso. Domine vim patior responde pro me: quid dicam aut quid respondebit mihi cum ipse fecerim. Recogitabo tibi omnes